

TITULUS XXXII.

De novi operis nuntiatione.

1. *Ratio continuationis.* Inter alios prælatorum et quandoque subditorum excessus, de quibus compilator juris canonici tractavit titulo præcedenti, etiam connumeratur is, qui committitur in ædificando, seu novum opus faciendo in præjudicium vicinorum, vel aliorum. Et hic excessus coercetur per novi operis nuntiationem, de qua agitur in præsentis titulo, atque jure civili tam in codice, quam digestis; cujus leges Papa quoad hoc observari vult etiam in ecclesiis, aliisque piis locis post novi operis nuntiationem, ædificatis, c. 1, h. t. Inter alias dicens: Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita etsacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur.

2. *Nuntiatio novi operis, quid?* — Queritur I. Quid sit nuntiatio novi operis? a quo? quomodo? quando, ubi? et cui fieri possit, ac debeat? Resp. I. Nuntiatio novi operis est prohibitio recte facta, ne quis in ædificio, seu alio novo opere pergat, donec de jure ædificationis constiterit, aut præstita sit eo nomine satisfactio: ut proin nuntiare hoc loco idem sit, ac prohibere novum opus; consequenter ille nuntiet novum opus ali-quod, qui prohibet, ne fiat tale opus novum, arg. L. 1, ff. h. t. cum Concordantiis.

3. *Fit circa sola futura, seu nondum perfecta opera.* — Dicitur I. Ne in opere novo faciendo, etc. Nam hoc edictum remediumque operis novi nuntiationis adversus opera futura introductum est non adversus præterita; hoc est adversus ea, quæ nondum facta sunt, ne fiant. Nam si quid operis factum fuerit, quod fieri non debuit, cessat edictum de operis novi nuntiatione, et erit transeundum ad interdictum quod vi aut clam, aut hujusmodi, quo restituatur, si quid illicite factum est; prout habetur L. 1, § Hoc autem. ff. De operis novi nuntiatione.

4. *Censetur autem novum opus facere, non solum qui ædificando, sed etiam qui destruendo, ampliando faciem operis mutat.* — Cæterum novum opus facere censetur quis non solum ædificando, sed etiam destruendo aliquid, ampliando, novam fenestram aperiendo, aut alias in præjudicium alterius mutando, arg. cit. L. 1, § Opus novum. 11, ff. h. t. ibi: Opus novum facere videtur,

qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid faciem operis mutat.

5. *Intellige in operibus solo adherentibus.* — Porro notandum per novum hujusmodi opus futurum, intellige illud, quod solo conjunctum, aut jungendum est, et in eo fit, ita ut in eodem solo permaneat, ut proin qui messem colligit, arbores succidit, vineam putat, etc., ei opus novum nuntiarum non possit, sed alio remedio arceri debeat textu expresso lib. I, § 12, ff. h. t. ibi: Hoc autem edictum non omnia opera complectitur, sed ea sola, quæ solo conjuncta sunt. Idcirco placuit, si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet, quanquam opus faciat, tamen ad hoc edictum non pertinere.

6. *Nuntians novum opus potest sed non tenetur acceptare ab ædificante cautionem de opere destruendo, si jure non sit ædificatum.* — Dicitur II. Aut præstita sit eo nomine satisfactio; id est cautio de opere suis sumptibus demoliendo, in casum, quo injuste ædificatum pronuntietur. Nam si ejusmodi cautio per nuntiantem opus novum recipiatur, statim alter ædificare permittitur: non tamen talem cautionem nuntiator accipere cogitur, c. *Significantibus*, et c. ult. h. t. ac alibi. Quia ubi semel ædificatum est, durior causa redditur, ac postea difficilius ad demolitionem devenitur; simulque ut dicitur L. ult. C. Ex quibus causis restitutio, etc. Melius est intacta jura servari, quam post causam vulneratam remedium quærere.

7. *Solvitur objectio.* — Nec obstat. I. *Prætor ait.* ff. De operis novi nuntiatione, et alibi, ubi dicitur, quod præstita satisfactio de demoliendo, vel oblata et non recepta, possit quis licet ædificare. Resp. enim Glossa in c. ult. h. t. *Non obstante*, id intelligendum esse conformiter L. un. C. De novi operis nuntiatione. et dicto c. ult. h. t. quod videlicet oblata cautione de demoliendo, potest tres menses possit quis ædificare, alioquin vero nuntians novum opus, si statim vel intra tres menses velit probare suum præjudicium, auditur, non obstante cautione, quæ sibi offertur.

8. *Nuntiatio novi operis fieri potest a quovis etiam privato cujus interest.* — Resp. II. Nuntiatio novi operis fieri potest a quovis, cujus interest, hujusmodi novum opus fiat. Communis et certa arg. cit. L. 1, § 16, ff. h. t. Potestque illud nuntiare seu prohibere quisvis privatus, cujus interest, adeo ut necesse non sit, adhibere mandatam, vel auctorita-

tem judicis cit. 1, § 2, ff. h. t. ibi: Nuntiare ex hoc edicto non habet necessariam prætoris aditionem, potest enim nuntiare quis, etsi eum non adierit.

9. *Idque tribus modis, videlicet, vel verbis, vel jactis lapilli, vel per prætorem.* — Resp. III. Nuntiatio novi operis tribus modis fieri potest. Videlicet verbis solis: secundo per manus appositionem, vel jactum lapilli in locum, ubi novum opus intenditur, aut inchoatur prohibendi causa, quod tamen verbis indicare debet, cum non quisvis lapidem projiciens in talem locum aut manum ædificio imponens intenditur nuntiare novum opus; uti post Hostiensem h. f. n. 8, bene advertit Pirhing h. t. Tertio per prætorem seu judicem, instando apud illam, ut ipse sua auctoritate prohibeat novum opus; arg. L. de Pupillo. 5, § Meminisse. 10, ff. h. t. ibi: Per Prætorem. et L. Vi facit. 20, ff. Quod vi, vel clam. ibi: Prohibitus autem intelligitur quolibet prohibentis actu, id est, vel dicentis, se prohibere, vel manum apponentis, lapillumve jactantis, prohibendi gratia.

10. *Si quis in nostro ædificat, melius est per prætorem, vel jactum lapilli, quam solis verbis nuntiare novum opus, et quare?* — Notandum tamen, quod etsi quis ex his nuntiandi modis sit sufficiens, tamen casu, quo quis in nostro ædificare, aut novum opus inchoare vult, melius sit, per lapilli jactum, vel per prætorem, quam simplicem verbalem nuntiationem opus prohibere; quia hanc in tali casu, qui facit, amittit possessionem, et eam acquirit adversarius, cit. 1. De pupillo. 5, § 10, ff. h. t. ibi: Meminisse autem oportebit, quoties quis in nostro ædificare, vel in nostrum immittere, vel projicere vult, melius esse, eum per prætorem, vel per manum (id est per lapilli jactum) prohibere; quam operis novi nuntiatione (supple simplici verbali) cæterum operis novi nuntiatione possessorem eum faciemus, cui nuntiaverimus, aut si in suo quid faciat, quod nobis noceat; tum operis novi denuntiatio erit necessaria. Sylvester *¶*. Nuntiatio novi operis. q. 4.

11. *Ad nuntiationem novi operis non requiritur certa verborum forma potestque fieri per substitutum.* — Cæterum ad nuntiationem verbalem nulla certa verborum forma requiritur, sed sufficiunt quævis verba intentionem prohibentis seu nuntiantis satis exprimentia, potestque illam facere per se, vel per alium suo nomine, L. 1, § Item. ff. h. t.

ibi: Item nuntiationem, et nostro, et alieno nomine facere possumus. Quocumque autem modo fiat, consultum est, ut coram testibus fiat, quatenus probari possit, eam factam esse.

12. *Est quovis etiam feriato die dummodo fiat in vel prope locum.* — Resp. IV. Quamvis nuntiatio novi operis quovis etiam feriato, et sacro die fieri possit, necesse tamen est, ut fiat in, seu prope locum, ubi fit, seu intenditur novum opus L. 1, § Item. 4, ibi: Item nuntiatio omnibus diebus fieri potest et 1. De pupillo 5, § 2, ff. eod. ibi: Nuntiationem autem in præsentis faciendam meminisse oportebit, id est, eo loci, ut opus fiat, sive quis ædificet, sive inchoet ædificare.

13. *Potest fieri contra quemvis etiam proprium superiorem.* — Resp. V. Nuntiatione novi operis potest quis, cuivis, seu contra quemcunque etiam proprium superiorem suum in præjudicium alterius novum opus molientem facere, l. Non solum. 8, prin. ff. h. t. ibi: Non solum proximo vicino, sed etiam superiori opus facienti nuntiare opus novum potero: idque, vel mediate, vel immediate, adeo ut non solum ipsi domino opus novum inchoanti, sed etiam in loco novi operis præsentibus v. g. fabris, opificibus, servis, vel aliis quibuscunque tamen, etiam mulieribus, qui domino referre valent nuntiationem, fieri queat, dummodo in, vel prope locum novi operis fiat: textu expresso cit. 1. De pupillo. 5, § 3, ff. h. t. ibi: Nuntiarum autem non utique domino oportet; sufficit enim in re præsentis nuntiare ei, qui in re præsentis fuerit, usque adeo, ut etiam fabris, vel opificibus, qui eo loci operantur, opus novum nuntiarum possit. Et generaliter et nuntiarum novum opus potest, qui in re præsentis fuit domini, operisque nomine. Neque refert, quis sit iste, vel cujus conditionis, qui in re præsentis fuerit, usque adeo, ut etiam fabris, opificibus, etc.

14. *Sive dein in suo, sive in alieno in præjudicium alterius ædificet.* — Nec refert, in quo loco, proprio, vel alieno talis opus novum faciat, vel intendat, dummodo in præjudicium tertii fiat, l. *Ædibus*. 18, ff. h. t. ibi: Nec ad rem pertinet, cui solum sit, in quo opus fiat, juncta 1. De Pupillo. § 10, ff. eod. Neque refert, sive locus sit publicus, sive privatus, sive sacer et religiosus, sive profanus L. 1, § 7, ff. eod. ibi: In publico, vel privato vel in sacro, vel in religioso loco.

15. *Datur etiam contra ædificantes capellam, vel aliud ædificium pium.* — Hinc etiam de

jure canonico conceditur nuntiatio novi operis contra ædificantem capellam in præjudicium baptismalis ecclesiæ, imo contra ædificantes quamcunque ecclesiam in præjudicium alterius c. 1, h. t. ibi: Quia nulla ecclesia in præjudicium alterius est construenda; nam, ut bene loquitur Abbas in c. *Pastoralis*. De his, quæ fiunt a Prælati, etc. Non decet unum altare discooperire, ut aliud cooperiatur.

16. *Nisi hoc ex justa culpa per episcopum cognita, eoque concedente erigatur.* — Intellege, nisi id fiat ex causa justa per episcopum cognita, et approbata, eoque permitte, v. g. ob numerositatem populi, amplitudinem parochiæ, vel hujusmodi, prout habetur in concilio Tridentino Sess. 21, de *Reformat.*, cap. 17.

17. *Nuntiatio ex tribus causis fit.* — Quæritur II. Ex quibus causis fieri possit novi operis nuntiatio? Resp. Ex tribus, videlicet, vel ad conservandum jus nostrum, quod novo opere violari cernimus, vel ad averendum præjudicium seu damnum ex novo opere oriturum; vel ad tuendum jus publicum, textu expresso cit. l. 1, § 6, ff. h. t. ibi: Nuntiatio fit aut juris nostri conservandi causa, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratia. Adeo ut non tantum ad privatum proprium, sed etiam publicum, seu commune damnum, aut conservandum bonum quivis nuntiationem novi operis facere queat; nam reipublicæ interest, quam plurimos ad defendendam suam causam admittere, ut dicitur l. *Nam*, 4, ff. eod.

18. *Cui nuntiatur novum opus; illico tenetur desistere ab ædificio, vel propriis expensis destruere, quod post nuntiationem ædificavit, etiam opus pium.* — Quæritur III. Quis sit effectus nuntiationis novi operis? Resp. Effectum ipsius utroque jure statutum esse, quod postquam nuntiatum est, ædificans desistere debeat a cæpto opere, et expectare per tres menses, intra quos probat nuntians suum præjudicium, alioquin si sprete nuntiatione ulterius pergat, quidquid postea ædificatum fuerit, sive jure, sive injuria, expensis ipsius ædificantis destrui debet, c. 1, h. t. ibi: Mandamus, quatenus diligenter considerans quod post denuntiationem novi operis, sive jure, sive injuria aliquid construatur, legalibus debet constitutionibus demoliri: etiamsi sit ædificium pium, aut sacrum v. g. ecclesia, c. 2, eod.

ibi: Mandamus, quatenus quidquid ædificatum est in ecclesia de Lamech post novi operis nuntiationem tuis facias expensis penitus demoliri: ac c. fin. h. t. et concordat l. 1, ff. eod.

19. *Sive dein juste, sive injuste ædificavit.* — Nec refert, quod injuria, seu injuste nuntiatio fiat cit. c. 1, h. t. et l. *Prætor*, 20, § 2, ff. eod. ibi: Neque interest, jure factum sit an non: sive jure factum est, sive non jure factum est, interdictum locum habet. Ratio hujus habetur l. *Prætor* ff. h. t. illis verbis: Qui igitur facit, etsi jus faciendi habuerit, tamen contra interdictum prætoris facere videtur: et ideo hoc destruere cogitur.

20. *Quis ante omnem cognitionem judicalem, num jure ædificatum sit, destruere debet ædificium.* — Hinc ædificare pergens post nuntiationem, hujusmodi ædificatum propriis expensis destruere debet ante omnem cognitionem judicalem, an jus habuerit ædificandi, vel an alter juste vel injuste nuntiavit novum opus, imo nec auditur, donec ante omnia propriis expensis destruat, quæ post nuntiationem factam ædificavit. l. 1, § *Sed si*, 7, ff. h. t. ibi: Sed si is, cui opus novum nuntiatum est, ante remissionem ædificaverit, dein cœperit agere, jus sibi esse ita ædificatum habere, prætor actionem negare debet, et interdictum in eum de opere restituendo reddere. Ratio est tum quia talis nuntiatio se habet per modum appellationis, qua pendente nil innovandum, c. 1, de *Appellation*. Tum quia, ut supra n. 6, jam dictum, ubi semel ædificatum, durior causa redditur, et difficilius ad demolitionem devenitur, simulque melius sit, intacta jura servari, quam post causam vulneratam remedium quærere.

21. *Is, cui nuntiatur novum opus, debet expectare per tres menses.* — Ob quas rationes cit., n. 6, etiam diximus, non tenere nuntiantem novum opus acceptare cautionem de opere illico destruendo, si de jure ædificandi non docuerit; sed debet ædificans facta sibi nuntiatione expectare per tres menses, ut intra quos nuntians suum præjudicium probare valeat., cit. c. fin. h. t. ibi: Is, cui opus novum te nuntiasse proponis, non obstante cautione, quæ offertur ab ipso de opere destruendo, si non ædificatum existat, tenetur per trium mensium spatium expectare juris sui præjudicium probare volentem.

22. *Si quis in eo, quod possidemus, ædificat, possum id propria auctoritate etiam per vim impedire aut destruere.* — Quæritur IV. An quis propria auctoritate violenter impedire, aut destruere valeat, si alter post factam denuntiationem novi operis, ab illo non desistit. Resp. I. Si quis in eo, quod possides, novum opus facere, vel ædificare præsumit, et ad denuntiationem tuam non acquiescit, poteris tale opus etiam per vim propria auctoritate impedire, vel etiam ædificatum destruere, dummodo hoc non ex intervallo, sed in continenti faciat. Imo poteris in tali casu etiam absque ulla denuntiatione novi operis propria auctoritate violenter impedire, ac destruere. Zoesius in l. *Quod*, 3, § 9, ff. *De vi, et vi armata*. et alii communiter, arg. l. *Sed si*, 27, ff. *de Servitut. Urban. Præd. et cit.* l. *Quod est*, 3, § 9, ff. *De vi, et vi armata*, juncta l. *de Pupillo*, 5, § 10, ibi: Si forte in nostro aliquid facere quis perseverat, æquissimum erit, adversus eum, quod vi aut clam.

23. *Vim vi repellere omnia jura permittunt.* — Ratio est, quia in tali casu vis vi repellitur quod omni jure permissum est, l. *Si vero*, 3, de *Sentent. excommun.* Ubi Papa excusat illum, qui vim vi repulit; addita illa ratione: Cum vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant, idem habetur c. *Dilecto eod.* in 6, ubi Papa approbat, quod quidam decanus adhibita vi se defenderit allegata dicta ratione iisdem quasi verbis: Cum (ait textus) omnes leges, omniaque jura vim vi repellere, cunctisque se defensare permittat; licuit utique ipsi decano contra illius violentiam injuriamque se tueri: idem passim habetur in jure civili, ut l. 1, § 27, ff. *De vi, et vi armata*, ibi: Vim vi repellere licere, Cassius scribit, idque jus natura comparatur. Idem sentit unanimis doctorum, adeo, ut teste Gailo de *Pace publica*, cap. xvi, n. 8, velint, clericum sacra agere volentem, posse invasorem in ecclesia impune occidere, et postea cæpta sacra perficere. Hinc in tali casu quis non tam vigore denuntiationis, quam vigore interdicti, quod vi aut clam, propria auctoritate opus in suo per alterum erectum destruere valet per jura citata.

24. *In suo ædificantem nemo privatus auctoritate violenter impedire, aut ædificatum ab eo destruere potest, ante nuntiationem novi operis.* — Resp. II. Si quis non in eo, quod possides, sed in suo novum opus, in tui ta-

men præjudicium facit, propria auctoritate non poteris illud statim in continenti violenter impedire, aut destruere, sed debes prius adhibere novi operis nuntiationem, arg. cit. l. *de Pupillo*, 5, § 10, ff. h. t. ibi: Si in suo quid faciat, quod nobis noceat, tunc operis novi nuntiatio erit necessaria. Ratio est, quia in suo ædificans ante nuntiationem vim alteri inferre non censetur, l. *Alterius C. de Servitut.* consequenter non intra: illud juris axioma: vim vi, etc., n. præced. allegatum.

25. *Bene vero post illam.* — Resp. III. Si quis etiam in suo ædificat, et post novi operis nuntiationem ædificare non cessat, sed adhuc pergere præsumit, potest nuntians vel in continenti talem propria auctoritate etiam vi adhibita impedire, vel ædificatum post nuntiationem propria auctoritate in continenti destruere, casu quo videlicet ædificans audita nuntiatione forsitan ad tempus, donec nuntians discedat, cessat, et postea nuntiantem iterum pergat, arg. toto Tit. ff. *Quod vi aut clam*. Probatur etiam conclusio sequenti argumento. Secundum omnes leges et jura licitum est injustam vim vi in continenti repellere, sed qui post denuntiationem novi operis etiam in suo proprio fundo ædificare pergat, injustam vim infert nuntianti, ac vi ædificare censetur; ergo nuntians licite poterit talem vim vi in continenti repellere. Major hujus syllogismi est certa per clara jura n. 23, *allegata*.

26. *Qui post nuntiationem novi operis etiam in suo, quod possidet, ædificat, vim infert nuntianti, indeque vim impedire potest in continenti.* — Minor, in qua est tota difficultas, probatur clarissime ex jure l. 1, ff. *Quod vi, aut clam*. ubi expresse declaratur, quod etiam ille vero vim facere, vique ædificare censeatur, qui post prohibitionem nuntiatione novi operis sibi factam, ædificare inchoat, aut pergat: Vi factum (inquit ibidem textus) Quintus Mucius scripsit, si quis contra quam prohiberetur, fecerit: Et mihi videtur, plena esse Quinti Mucii definitio: sed et si quis (pergit textus ab una ad alias nuntiationis species) jactu vel minimi lapilli prohibitus facere perseveraverit, hunc quoque vi fecisse videri, Prædus, et Pomponius scribunt, eoque jure utimur: sed etsi contra testationem (id est, contra nuntiationem coram testibus factam, uti notat Glossa marginalis ibidem) denuntiationemque fecerit, idem esse Casselius, et Trebatius putant,